

Hildburgshausen Partibus in illis Militare Imperium Insinuationis, ex Earundem Conferentia nuperrime habita Nobis medio peculiariter exmissorum Ablegatorum suorum humillime exposuerunt; Quibus benigne intellectis, veluti Nos Augusta-que Domus nostra hactenus cunctis in occurrentijs eximiam Fidelitatem Fidelium Statuum et Ordinum Regnorum noster Croatiae ac Slavoniae experti fuissimus, ac de ulteriore quoque ejusmodi insignis Devotionis et Fidelitatis continuatione indubiam spem Nobis firmiter polliceremur, ita in Casu ingruentis Belli ac dum ad reprimendam Hostium Vim validior, eaque regulata Militia in Districtu Jurisdictionis Banalis necessaria est futura, ejus clementissimam habituri sumus reflexionem, ne Servitio nostro vel etiam Publico Bono Conservationique Ipsorum-met Fidelium Statuum quid desit: Et neque praememorata Consilij nostri Aulae Bellici Insinuatio eo sensu sumenda esset, quasi Imperium Militare illis in Partibus habiturus, cum Fidelibus Statibus, omisso medio legitimae et competentis Eorundem Instantiae, pro suo arbitrio acturus esset, cum expressa benigna mens et voluntas nostra existat, ut ea, quae a parte Provincialium dictorum Regnorum nostrorum in Promotionem servitij nostri inibi etiam conferri debent, medio antelati Bani Fidelitatibus Vestris intimentur et innotescant, ac erga talem Intimationem sua modalitate prompte etiam praestentur, et alias quoque Fideles Status et Ordines praeattactorum Croatiae ac Slavoniae Regnorum nostrorum in justis suis Juribus, Praerogativis et Privilegijs omnimode conserventur manuteneanturque. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia Fidelitatibus Vestris benigne jugiterque propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae, Die vigesima nona mensis Novembris Anno Domini Millesimo septingentesimo trigesimo sexto.

Carolus m. p.

Comes Ludovicus de Batthyán m. p.

Petrus Végli m. p.

*A tergo:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae universis Statibus ac Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis A. 1736. N. 53.